



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *VENITE, BENEDICTI* **BEATORUM HONORES VENERABILI PETRO**

FRIEDHOFEN DEFERUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – «Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi» (*Matth* 25, 34). Suavia haec verba Filius hominis its est dicturus, qui in sua cuiusque terrestri vita, et viderint Eum in pauperibus, et in egenis miserisque Ei adfuerint: nam his loquetur illis qui talia gesserint: «Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (*ib.* 25, 40). Mandatum enim diligendi proximi, quam arcte cum amore Dei coniunctum, neque unis verbis exercendum, sed opere et veritate (*cf.* *1 Io* 3, 18), est praeceptum longe princeps in iis quae Christus asseclis iussit: «Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos» (*Io* 13, 34). Nimirum inter illos qui, Dei gratia fulti, hoc Domini praeceptum pie sancteque servarunt, est sane Venerabilis Dei Servus Petrus Friedhofen adnumerandus, qui tamquam bonus Samaritanus (*cf.* *Luc* 10, 30-35) in omnes quos doloris sarcina premeret, ita inclinavit, ut summa et cura, et sollicitudine – obsequio, dixerimus ut est mos Sanctorum proprius, – suavem divini amoris dulcedinem cum iis communicaverit, ac Redemptoris luce eos collustraverit. Ortus est autem Venerabilis hic vir Weitersburgae, ad Confluentes, anno MDCCCXIX, die quinta et vicesima mensis Februarii, Petro Friedhofen et Anna Maria Klug parentibus, pauperibus quidem, sed piis; qui, tristi morte occupati, mature puerum orphanum pauperrimumque reliquerunt. Anno autem MDCCCXXXII, mense Aprili, primum puer Eucharistiam sumpsit. Deinde, die decimo mensis Mai insequentis anni, est sacramento Confirmationis ad vitae certamina roboratus. Ceterum, scholis elementariis ab anno MDCCCXXXIV ad MDCCCXXXVII frequentatis, caminorum purgandorum tirocinium posuit, cum Iacobo fratre eius natu maiore earn artem exercens. Ita forte factum est, ut inde ab infantia in Filii Dei similitudinem cotidianum victum per durum laborem quaereret. Cum autem duo de vicesimum annum ageret, socius fratris factus est: socius videlicet laboris et illius familiae sustentandae. Neque tamen operosa illa ars, quam, vix credal, in rem sacram verterat, impediabat quin animi pietatem summo studio coleret, in Deum, virtutem, orationem, proximorumque salutem totus intendens. Religiosorum praeterea officiorum diligentissimus, in divinis Scripturis diu immorari solebat; Mariam, castissimam Christi Matrem, filii more venerabatur, cuius laudes in caminis abstergendis canebat: quin et coaequales in id hortabatur. Anno MDCCCXLII vir est creatus caminis totius municipii purgandis in nativo pago Vallendar; at, valetudinis causa eo se munere anno MDCCCXLV abdicavit. Cum tamen ad interiorem vitam inclinaret ingenio suo, coenobium Congregationis Sanctissimi Redemptoris, quod Wittem esset, in Hollandia, petiit, ibique Religiosae vitae suavitatem, brevi quamvis haustu, fruitus est. Neque tamen ad id vitae genus se vocari cognovit. Post vero fratris mortem, misericordia motus onus in se suscepit alendae illius viduae ac puerorum, quorum tutor a Municipio publice designatus est. Ea occasions praeterea in munus caminorum purgandorum fratri successit in pago Ahrweiler. Quia tamen suscepta liberaliter onera graviora erant, quam ut ea sustinere posset, anno MDCCCL, se iis muneribus abdicavit. Cum autem is esset Venerabilis Vir, quem missio Ecclesiae universalis haud leviter tangeret, et cura atque sollicitudo proximorum urgeret, idcirco iam inde a puero facultatem nullam omittebat, ut pastorales sacerdotum curas

participans, iuvenes ad frequentem usum Evangelii impelleret, et ad alta christianae perfectionis erigeret. Ad eum finem, consiliis initis cum Parocho Vallendariensi, iuvenum manum se circum coegit, qui eadem ac ille sentirent, atque serio pollicerentur se ad sanctitatem tendere velle, atque Dei gloriam conversionemque peccatorum persequi: per christianarum nempe virtutum exercitium, quales erant; humilitas, castitas, oboedientia; per sacramenta, praeterea, Confessionis et Eucharistiae; per singularem erga Dei Matrem pietatem, ac in Sanctum Aloisium Gonzaga religionem. Eo consilio nata est Societas a S. Aloisio, quae, Petro auctore atque ductore, per ceteras etiam regiones manavit, probante iuridice Episcopo Trevirensi. Post autem varia Sodalitatis illius discrimina, interioresque difficultates, provido piissimi sacerdotis Antonii Iosephi Liehs usus consilio, tandem intellexit quo Deus vocaret; atque id vitae cepit institutum, ut non modo valde austere, more Sanctorum viveret, sed etiam ut paene tota die ac nocte Mariae laudes caneret, vivacemque caritatem exerceret, maxime in aegrotos. Factum est ergo ut, divinae Providentiae fisus, atque beatissimae Matris Dei patrocinio fultus; assidua insuper prece recrearet; ac Moderatoruni ecclesiasticorum voluntatibus ad amussim parens, nonnisi post graves aerumnas, tribulationes, incommoda, casusque varios, Congregationem Fratrum a Misericordia conderet, sub tutela Mariae Auxiliatricis. Quae profecto Sodalitas, anno MDCCCLII Confluentibus ab Episcopo Villoelmo Arnoldi canonice constituta est, atque eo respiciebat ut in aegrorum curationem sodales intenderent. Interim autem Venerabilis vir, una cum duobus sodalibus, die festo Annuntiationis beatae Mariae Virginis, anno MDCCCLI, religiosam vestem induerat; atque die quarto decimo mensis Martii proximi anni, se Deo toto pectore dedicabat, sollemnia vota per sacerdotem Philippum De Lorenzi nuncupando; qui, legatos ab Episcopo, assidua sollicitudine Dei Servo adstitit ab ortu Instituti ad maturitatem. Ceterum hoc, anno MDCCCXXVI est ab Ecclesia probatum sigillo suo. A die vero religiosae professionis ad usque vitae occasum, Venerabilis vir Congregationi suae sapienter prudenterque praefuit. Et ea quidem, brevi, opitulante Deo, ad alias etiam urbes fines protulit. Nimirum ille, ut erat ad Evangelii iussa simplex, humani apparatus opumque inops, ad id summe contendit, ut regnum Dei eiusque gloriam quaereret, ea semper consilia sequens, quae egenis ac pauperibus prodessent magnopere. Per id autem egregium etiam documentum dedit perfectae imitationis Christi, qui «non venit ministrari, sed ministrare» (*Matth* 20, 28), atque sibi factum habet, quod in egentium utilitatem impenderimus. Cum autem nullo se loco numeraret, robur inceptorum efficiendorum aliunde hausit: ab intime scilicet consuetudine cum Deo, cuius nutibus obsequabatur in omnibus; ab eximia pietate erga caelestem Patrem, Eucharistiam, atque Christi Matrem; sed maxime a Crucifixo. Praeterea, tametsi venerabilis vir interiore luce fruebatur, semper tamen prudentium hominum consilia petere consuescebat ac sequi, quorum iudicio proposita, cogitationes, ac paene motus animi committebat aequissimo animo. Dolores, nimirum, paupertas, difficultates quae eius vitam comitata sunt a prima usque infantia ceu lucem umbra, eum vallarunt ac munierunt; quem et proclivem effecerunt in aliorum necessitates, et benignum semper ac liberalem, si quis erravisset devius, aut incertus esset animi, et abstinentem rerum humanarum, et divinae gratiae fidentem. Ceterum, in assidua oratione ac prece nisus, rerum malignitates vicit religiosae vocationi obstantes, eosque obdurans, dum caelitus auxilium mitteretur, aut divino instinctu confirmaretur. Robur autem omne ex iis Christi verbis Petrus sumebat: «Et omnia quaecumque petieritis in oratione credentes accipietis» (*Matth* 21, 22). «Quae, aiebat, talia sunt quibus ego fidam totus, in quibusque consistam, cum tota Scriptura moneat ut Deo credamus. Quare ei qui credit, omnia promissa sunt». Ceterum, in recto proposito perseveravit sese omnibus omnia faciendi, proficiendi in virtutibus cum christianorum tum etiam religiosorum propriis, ad mortem usque progrediens. Sed heu mors iam iam imminens eum praestolabatur in via; quae eum et Confluentibus rapuit, die uno et vicesimo mensis Decembris, anno MDCCCLX. Neque letum non praesagii ac futura non ante sensit, qui paucis ante diebus scripserat: «O possim in Christi Natali canere cum Angelis in caelo: Gloria in excelsis Deo. Deo enim omnia possible sunt». Qua re se quam diligentissime ornaverat ad Dei conspectum, quem summe amaverat, cuique libero ac puro corde servierat; atque sacramenta pie exceperat, filiorum precibus suffultus, a quibus in beneficii loco petierat ut cantiunculam «Amar

Maria» canerent, qua maxime delectaretur: eandem precem, videlicet, quam ipse tunc cantare consuevisset, cum, iuvenis, in vitae vero, caminos mundabat, aequalibus demirantibus. Dei servo iusta funebria celebrata sunt, quibus, quamvis aspera circnm saeviret hiems, frequentissima populi magistratuumque turba interfuerunt. Neque eius virtutum laus atque memoriam perierunt, cuius fama diu tenuit. Quam ob rem, Curia episcopalis Trevirensis, anno MDCCCXXVII, beatificationis processus initium fecit. Post ergo res diligentissime apud archiva indagatas et vestigatas, Officium Historicum-Hagiographicum Congregationis pro Causis Sanctorum scriptum, seu *Positionem super vita et virtutibus* Venerabilis Servi Dei, apparavit. Deinde, nempe ad iuris normam, apud eandem Congregationem de virtutibus eius rite disputatum est; quas heroas fuisse die quarto et vicesimo mensis Septembris, anno iubilaeo MDCCCCLXXXIII, Ipsi declaravimus. Tandem, mira sanatione Ioannis Hain, Venerabilis Petri Friedhofen intercessioni attribuite, iusta diligentia excussa, a Nobisque die quarto decimo mensis Decembris, anno MDCCCCLXXXIV, probata; explorato item de solida signorum fama constare, iter ad Servi Dei beatificationem tuto patuit, quam die tertia et vicesima mensis Iunii, hoc anno, fieri statuimus, una cum Venerabilis Servi Dei Benedicti Menni beatificatione. Hodie ergo, Romae, in Basilica Vaticana referta fidelibus, maxime e Germania, inter sacrum statam formulam sollemni caerimonia pronuntiavimus, quae est: «Nos, vota fratrum nostrorum Angeli Suquía Goicoechea, Archiepiscopi Matritensis, Hermanni Iosephi Spital, Episcopi Trevirensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Benedictus Menni et Petrus Friedhofen, Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Benedicti Menni die vicesima quarta aprilis, Petri Friedhofen die vicesima prima decembris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Novorum inde beatorum laudibus pontificali sermone habitis, Deoque per illos invocato, christianae plebi eos seu sincera exemplaria virtutum proposuimus. Quod profecto faustum, felix fortunatumque sit. Ea vero quae gessimus in perpetuum valeant, contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Iunii, anno MDCCCCLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana